NICOLAI PAPÆ I

IDEA DE PRIMATU ROMANI PONTIFICIS EXPLICATA

DISSERTATIO HISTORICO-CANONICA

QUA

AD AUDIENDAM ORATIONEM

QUAM

PRO PROFESSIONE PUBLICA

IN

LYCEO HOSIANO

RITE AUCUPANDA

D. XIX MAJI A. MDCCCLIX

H. L. Q. C.

HABITURUS EST

OBSERVANTISSIME INVITAT

ANDREAS THIEL

SS. THEOL. LIC. EJDQ. PROF. PUBL. ORD. DES.

BRUNSBERGAE

TYPIS HEYNEANIS.

1859

Nicolai Papae I idea de Primatu Romani Pontificis explicata.

De doctrina catholica est, notionem Pontificatus Romani a Christo ipso profectam et ecclesiae quasi summam quandam normam inditam esse. Nec tamen ideo dicendum, illum jam inde ab initio semper eundem, nunquam variatum fuisse. Immo in singulis partibus excultus et formatus idem demum in temporum decursu est, ipse sicut quaevis monarchia summe legitima jurium suorum vere historiam habet. — Ex alia parte nemo facile negaverit, illum ipsum inter primaria historiae christianae momenta ponendum esse. Nam saltem post excidium occidentalis imperii ab eo res fere omnes et civiles et ecclesiasticae impetum et paene dixerim formam quandam acceperunt. Quare et pro statu culturae recte cognoscendo et pro singularum rerum vi effectuque juste judicandis summi momenti est, formam illius, qualis quovis tempore fuerit, bene resciscere. Ejusmodi quaestio imprimis pro aevo Carolingorum instituenda. Quod sicut prae omnibus fere saeculis rerum publicarum splendore excellit, ita abunde patet, tale quid vix Pontificum Romanorum auxiliis minus quam Caroli magni ingenio et virtuti tribuendum esse. Quin ipsi illi Pontifices erant, qui deficiente in filiis patris ingenio et multimodis calamitatibus imperium novum perdentibus, saltem in spiritualibus aliquamdiu publicae ruinae restiterunt et religionis litterarumque profectum sustinuerunt. Inter quos et ingenium nullum majus, et imago Pontificatus apud neminem distinctius expressa, quam apud Nicolaum I. Qui alter quasi Gregorius I corruenti aevo medicinam Petrae Christi strenue ,et audacter obtulit, et hierarchiae Gregorii VII jam plenam speciem primus

edidit. Quare haud ingratum erit, imaginem jurium Pontificiorum, qualem ille exhibuit, plane descriptam praebere. Ubi simul alia quaestio aliquatenus adumbrabitur, num videlicet inter fundamenta et primaria adminicula illorum decretales Pseudo-Isidorianae concurrisse dicendae sint.

Hanc igitur imaginem delineaturus haud incongrue his partibus exsequar: **I.** De generali vi ac ratione, quam Nicolaus primatui Romano tribuerit, quoque eum fundamento fulserit. **II.** De singulis juribus, quae ei asseruerit, idque *A.* circa inspectionem, *B.* circa legislationem, *C.* circa jurisdictionem, *D.* circa administrationem ecclesiasticam, *E.* circa externos honores, *F.* circa potestates et res saeculares.

I.

De generali vi ac ratione, quam Nicolaus Pontificiae potestati tribuerit, quoque eam fundamento fulserit.

„Christus privilegia constituta in Petro disposita vel firmata Romanae contulit ecclesiae, super quam nihil synodus quaelibet ausa est merito constituere, quum sciat, omnia illi Domini sermone concessa. Dispensationem quippe redemptionis humani generis ante tempora saecularia Dominus omnipotens penes se ordinatam custodiens et tempore carnis ostendens, ascensurus ad coelos in apostoli Petri, per quam et apostolatus et episcopatus sumpsit exordium, [1]) confessione curaque praecipue collocavit, qui tunc per se et deinceps per suae sollicitudinis haeredes circa humanum genus, quae sibi Dominus commendavit, non destitit exhibere“ — his verbis [2]) Nicolaus fere totam, qua ubique ducitur, sententiam suam de ratione

---

[1]) Est notissima sententia Siricii (ep. 5 ad eppos Africae ed. Coustant. „Epist. Rom. Pontif.“ I. 651), Innocentii I (ep. 2 ad Victric. Rotomag. l. c. 747, cf. ep. 29 ad eppos syn. Carth. l. c. 888) aliorumque pontificum, quae et apud Nicolaum saepissime recurrit.

[2]) ep. 75 ad eppos Gall. ed. Migne „Patr. lat.“ t. CXIX. col. 907.

Pontificatus complectitur. Per illa b. Petri privilegia ecclesia Romana est „veraciter principalis ecclesia, quae a Christo Salvatore principatus sui privilegia accepit,“ [1]) est „omnium ecclesiarum mater, [2]) magistra [3]) atque caput,“ [4]) „religionis caput,“ [5]) „fundamentum seu petra ecclesiae, ubi Christus domum suam fundavit et universa fabricae moles innititur,“ [6]) „quaeque semper ss. patrum sincerissimas auctoritates in omnibus suis actibus sequitur.“ [7]) Unde Pontifices Romani, ut ejusdem Nicolai verbis utar, [8]) „licet indigni pro patribus filii nati vicem s. Petri agentes Dei sunt gratia constituti in domo ipsius principes super omnem terram“ et „in totius christianae religionis universitate principaliter excellentes.“

Quo honore ipsis gravia officia imponuntur. Nam exinde „universarum Dei ecclesiarum sollicitudinem habere [9]) et singulis quibusque fidelibus atque piis locis opportuna suffragia

---

[1]) ep. 11 ad oo. fideles. (l. c. 783).

[2]) ep. 51 ad Rotbert. Cenom. (l. c. 864), ep. 77 ad Roth. Suess. (l. c. 909), ep. 79 ad eppos i. r. Caroli (l. c. 915).

[3]) ep. 75 ad epp. Gall. (l. c. 905), ep. 86 ad Mich. imp. (l. c. 927 et 941).

[4]) ep. 12 ad Phot. (l. c. 786), ep. 13 ad Mich. imp. (l. c. 790), ep. 75 (l. c. 905), ep. 152 ad Hincm. (l. c. 1156).

[5]) ep. 65 ad Rodulph. Bituric. (l. c. 882).

[6]) ep. 60 ad Hincm. (l. c. 871), ep. 75 (l. c. 902).

[7]) ep. 13 ad Mich. imp. (l. c. 790). Ceterum cuique historiae ecclesiasticae perito satis notum, has easdem fere ecclesiae Romanae significationes jam antiquitus et a synodis et a Pontificibus usurpatas esse.

[8]) ep. 65 (l. c. 882), ep. 75 (l. c. 900), ep. 86 (l. c. 949) et ep. 29 ad Trasulph. Corbej. (l. c. 815).

[9]) Sim. in ep. 111 ad nobiles Aquit. (l. c. 1114). Etiam haec locutio apud Pontifices sicut alios autores ecclesiasticos antiquitus usitatissima. Ex gr. Leo I in ep. ad Anastas. Thessalonic. n. 11 (Hard. I, 1769): „per quos (sc. patriarchas et mtrplt.) ad unam Petri sedem universalis eccliae cura confluit.“ Acacius Ctplt. in ep. ad Simplic. P. (l. c. II. 804): „sollicitudinem omnium ecclesiarum secundum apostolum circumferentes hortamini etc.“ Gelas. in ep. 3 ad eppos Piceni (l. c. 892): „sicut ad S. A. moderamina pertinet, cunctis sollicitudinem debitam ministrare congruenter ecclesiis etc.“

conferre,"[1] „omnium infirmantium imbecillitatibus subvenire et manum confirmationis suae omnino libenti porrigere debent."[2] „Considerato enim ministerio nostro, ad Ignatium Ct. scribit (ep. 101 l. c. 1058), quod divinitus per b. Petrum apostolum ad nos usque derivatum suscepimus, non est pro fratribus nostris silendi facultas, quibus major et honor et onus cunctis christianae pietatis et ecclesiarum correctionis inesse debere sollicitudo dignoscitur. Sustinemus quippe cunctorum, qui premuntur gravamina, quin potius sustinet in nobis haec s. Petrus apostolus, qui in omnibus, ut confidimus, administrationis suae protegit ac tuetur haeredes."[3] „Sicut igitur non leve discrimen incumbit Pontificibus, siluisse pro divinitatis cultu et ecclesiae correctione, quod congruit, ita his, quod absit, non mediocre periculum est, qui quum debeant parere, despiciant."[4]

Haec Sedis Apostolicae summa sollicitudo ac dominatio autem simul pro tota ecclesia maximi momenti, pro rebus omnibus et civilibus et ecclesiasticis fere necessaria est. In ipsa enim totius juris et salutis publicae securitas, status omnis incolumitas ac moderamen consistit. „Privilegia S. A., ait,[5] tegmina sunt totius ecclesiae catholicae, munimina sunt circa omnes impetus pravitatum;" eadem ut alio loco scribit,[6] „totius sunt Christi remedia ecclesiae catholicae, sunt Petri arma contra omnes impetus pravitatum et munimenta atque documenta Domini sacerdotum et omnium prorsus, qui in

---

[1] priv. Corbej. (l. c. 815).

[2] priv. eccl. Bellovac. (l. c. 813).

[3] Eadem fere jam Siricius in ep. 1 ad Himer. habet: „officii nostri consideratione non est nobis dissimulare non est tacere libertas, quibus major cunctis Christianae religionis zelus incumbit. Portamus onera omnium, qui gravantur, quin immo haec portat in nobis b. apostolus Petrus, qui nos in omnibus, ut confidimus, administrationis suae protegit et tuetur haeredes." (Coustant. „Epist. Rom. Pontif." I, 624).

[4] ep. 86 ad Mich. imp. l. c. 959. Et ipsa haec sunt verba Gelasii ad Anast. imperat. (Hard. II. 893).

[5] ep. 35 ad eppos syn. Silvanect. (l. c. 832), cf. ep. 98 ad Mich. imp. (l. c. 1026), ep. 104 ad Cler. Ct. (l. c. 1070).

[6] ep. 36 ad Car. Calv. (l. c. 836).

sublimitate consistunt, immo cunctorum, qui ab eisdem potestatibus diversis afficiuntur incommodis.“ Hoc quidem praeprimis illis turbulentis temporibus summe necessarium esse apprime perspexit. „Quicunque, privilegium Bellovacense incipit (l. c. 813), in hujus labentis saeculi fuerint aliquo detenti discrimine, ne velut in fluctuantis maris pelagus viribus infirmitati infeliciter demergantur, nullum melius possunt suae infirmitatis invenire salutiferum portum quam sedem illius, cui divino oraculo dictum est: „„*tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*““ — Prae omnibus in S. A. inconcussis privilegiis judiciorum et justitiae summam tutelam pendere contendit. „Quam rogo, Rodulphum Bituric. ejusque episcopos increpat (l. c. 882), validitatem vestra poterunt habere judicia, si nostra quomodolibet infirmantur, de quibus nec retractari licet? vel quod robur concilia vestra obtinere valebunt, si suam perdiderit Sedes Aplica firmitatem, sine cujus consensu nulla concilia vel accepta esse leguntur?“ Nec facile hoc verum esse quisquam negaverit.

Sed restat ut videamus, in quo fundamento Nicolaus potestatem illam Pontificiam posuerit. Num forte decretalia quaedam antiqua sive Pontificum sive synodorum sive vera sive falsa pro suis illis S. A. summis privilegiis appellat? Immo saepius cum pluribus praedessoribus suis [1]) extollit, „super ecclesiam Romanam nihil unquam synodum quamlibet ausam esse constituere,“ [2]) principatum ejus non ex ullo canone vel decretali sed ex divina institutione a Christo in b. Petro disposita pendere. [3]) Quare summa animi fiducia id ubique tenet et praedicat, privilegia illa quippe divinitus radicata nulla

---

[1]) Ex gr. Bonifacius ep. 14 ad eppos Thessal. n. 1. (Coustant. l. c. 1037), Gelas. ep. 4 ad Anastas. imperator. (Hard. II. 893), decret. a. 494 n. 1. (l. c. n. 938).

[2]) cf. ep. 75 (l. c. 907), ep. 86 ad Mich. imp. (l. c. 950).

[3]) cf. ep. 22 ad Car. Calv. (l. c. 803), priv. Bellovac. (l. c. 813), priv. Corbej. (l. c. 815), ep. 75 ad eppos Gall. (l. c. 907), ep. 86 ad Mich. imp. (l. c. 948 sqq.), ep. 104 ad cler. Ct. (l. c. 1082), ep. 152 ad Hincm. et eppos i. r. Caroli (l. c. 1157).

humana potestate infringi aut destrui posse. Quum Hermintrudis regina in causa Rothadii obsequium ab ipso ita efficere conata esset, ut iis haud parvum a rege augmentum accessurum esse innueret, ille tale quid declinans respondit: [1] „Quod scripsistis, quia si exaudiamus filium nostrum (sc. Carol. reg.), non detrimentum sed augmentum ecclesiae nostrae privilegiis generetur: nos certissime credimus, quia privilegia s. Romanae ecclesiae nullum possunt sustinere detrimentum, nec plantatio, quam coelestis pater noster plantavit, eradicari nec fundamenta, quae summus posuit architectus, queant quibuslibet et quantislibet fluctuationibus amoveri." Ad Michaelem imperatorem autem, qui insolentia summa vel minas ei obtenderat, quasi prophetico spiritu inter alia ita replicavit: [2] „ecclesiae Romanae privilegia Christi ore in b. Petro firmata, in ecclesia ipsa disposita, antiquitus observata et a sanctis universalibus synodis celebrata atque a cuncta ecclesia jugiter venerata, nullatenus possunt minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari, quoniam fundamentum, quod Deus posuit, humanus non valet amovere conatus, et quod Deus statuit, firmum validumque consistit. Illeque potissimum peccat, qui Dei ordinationi resistere tentat. Privilegia inquam istius sedis vel ecclesiae perpetua sunt, divinitus radicata atque plantata sunt, impingi possunt, transferri non possunt, trahi possunt evelli non possunt. Quae ante imperium vestrum fuerunt et permanent Deo gratias hactenus illibata manebuntque post vos, et quousque Christianum nomen praedicatum fuerit, illa subsistere non cessabunt immutilata. Ista igitur privilegia huic s. ecclesiae a Christo donata, a synodis non donata sed jam solummodo celebrata et venerata, per quae non tam honor quam onus nobis incumbit, ... nos cogunt nosque compellunt, omnium habere sollicitudinem ecclesiarum Dei. (Sequ. fundatio Romanae ecclesiae per b. aplos Petrum et Paulum et constitutio patriarchalium ecclesiarum

---

[1]) ep. 49 ad Hermintrud. regin. (l. c. 863).

[2]) ep. 86 (l. c. 948). Similiter l. c. 960: „impelli non valent humanis praesumptionibus, quae divino sunt judicio constituta."

Antiochiae et Alexandriae.) Proinde animadvertendum est, quia non Nicena non denique ulla synodus quodquam Romanae ecclesiae contulit privilegium, quae in Petro noverat eam totius jura potestatis pleniter meruisse et cunctarum Christi ovium regimen accepisse (sec. Bonifac. ep. ad eppos Thessal.)." —

Sola igitur in divina institutione Nicolaus primatus Romani jus suamque de ejus perennitate fiduciam fulcit. Canones aut decretales autem, quae in hac re adducit, tantummodo pro testimoniis adhibet, singula ejusdem jura jam antiquitus agnita esse. [1]) Num autem forte ibi Pseudo-Isidorus ipsi argumenta suppeditavit? Quae quaestio quum accurate diffiniri non possit, nisi ipsum jus Pontificium, quod Nicolaus exhibuerit, totum antea cognoscatur, hoc loco simpliciter negasse sufficiat. Plena argumenta demum ad finem in appendice I proferentur.

II.

De singulis juribus, quae Nicolaus Pontificiae potestati asseruerit.

A. Circa inspectionem ecclesiasticam.

„Sollicitudinis, quam pro universis ecclesiis Dominicis sustinemus, necessitas nos compellit, de omnium fidelium statu impigram gerere providentiam," Nicolaus nobiles Aquitanos alloquitur, qui ipsi de ecclesiarum depraedationibus delati fuerant (ep. 111 l. c. 1114). Cui providentiae ut juste satisfieret, et relationes episcoporum exquirendi et legatos vel epistolas dirigendi jus S. A. esse ubique asseruit.

De relatione quidem episcoporum saepius illud concilii Sardicensis inculcat, „optimum et valde congruentissimum esse,

---

[1]) Sicut ex gr. de summa jurisdictione S. A. Gelasium ita appellat (ep. 75 l. c. 905): „si quis autem tacita forte (mussitatione obtenderit), Romanae hujusmodi ecclesiae privilegia non fuisse, quibus Sedes Aplica aliorum ligata praesulum facultatem habuerit dissolvendi, praeter quod prisca rerum probatione et nonnullarum recitatione scripturarum convincitur, testis est b. Gelasius, qui etc."

si ad caput i. e. Petri apostoli sedem de singulis quibusque provinciis domini referant sacerdotes." [1]) Idque necessario postulat „in rebus omnibus, quae aliquam possunt recipere dubietatem vel quamcunque incurrere quaestionem," tum omnino „in omnibus majoribus negotiis ecclesiasticis." [2]) Quare sicut ejusmodi relationes utpote „merito factas" semper laudibus extollit, [3]) ita ubi intermissae, severissime increpat. [4]) — Ad eundem hunc finem etiam testes rerum ipsos ad se evocandi plenissimam sibi licentiam astruit. „Per principalem beatorum aplorum Petri et Pauli potestatem, ad Mich. imperat. scribit (ep. 86 l. c. 952), jus habemus, non solum monachos verum etiam quoslibet clericos de quacunque dioecesi, quum necesse fuerit, ad nos convocare atque ecclesiasticis exigentibus opportunitatibus invitare."

De mittendis autem propter universalem ecclesiae inspectionem legatis et epistolis ita officium S. A. vindicat: „Quia cunctarum Christi ovium cura constringimur, quum vices illius egerimus, cui specialiter a Deo dicitur *„pasce oves meas"* et rursus *„et tu aliquando conversus confirma fratres tuos"* — non potuimus dissimulare non potuimus negligere, quominus visitaremus oves dispersas vel quominus confirmaremus in fide et bonis moribus fratres nostros et proximos." [5]) „Quia universitas

---

[1]) ex ep. ejd. conc. ad Jul. P. (Coust. l. c. 395, Hard. I. 653), Nicol. in ep. 75 (M. 901).

[2]) cf. ep. 32 ad Hincm. (l. c. 821), ep. 35 ad eppos syn. Silvanect. (l. c. 827), ep. 84 ad Lud. II. (l. c. 925). Ceterum quomodo etiam hac in re non nisi veterum vestigia premat, conf. dissert. nostr. „de Nicol. leglat. eccl." p. 21. ss.

[3]) ex gr. in ep. 1 ad Venilon. Senon. (l. c. 769), ep. 32 cit., ep. 33 ad Hincm. (l. c. 823), ep. 35 cit., ep. 48 ad Car. Calv. (l. c. 862), ep. 79 ad eppos in regn. Car. (l. c. 913).

[4]) ex gr. in ep. 74 (l. c. 897) Hincmarum, quod de causa Rothadii, in ep. 80 (l. c. 915) archieppos in regno Lotharii, quod de hoc monito nihil ad S. A. retulerint.

[5]) ep. 98 ad Mich. imp. (l. c. 1019). Idem in ep. 104 ad cler. Ctplt. (l. c. 1068) et in ep. 106 ad universos cathol. (l. c. 1091). Ceterum etiam hic similiter Coelestinus in ep. 4 ad eppos Vienn. et Narbonn. (ed.

credentium a Romana ecclesia, quae caput omnium ecclesiarum est, doctrinam exquirit, integritatem fidei deposcit, criminum solutionem qui digni sunt exorant — oportet nos sollicitos esse et ad speculationem dominici gregis ferventissime anhelare... Et quos per corporalem ob longinqua terrarum spatia aut tumentes marinos fluctus nequimus visitare praesentiam, saltem series apicum quasi viva voce declarent, ut nec a nobis silentii exquiratur culpa, nec audituris de ignorantia excusandi tribuatur facultas.“ [1]) Quare pro summo crimine computat, aut legatos S. A. dehonestare, [2]) aut ejusdem „scripta pro religione pro disciplina pro correctione missa violare.“ [3])

Si denique quaeramus, ad quas res Nicolaus inspectionem suam summam intenderit, „Sedem Aplicam ex ministerio sibi credito ubique praesto esse,“ hoc verbum suum [4]) ille veraciter adimplevit. Ubique quasi speculator in monte Domini oculo pervigili totum orbem christianum lustrabat, illicita arcens, bona quaeque fovens. Primum „per universas gentes verbi semina serere, pro praecipuo S. A. officio“ declaravit, [5]) id quod factis quoque satis exsecutus est. Nam non solum praedicationi evangelii inter Danos Suecosque et Bulgaros enixam operam adhibuit, [6]) sed non minore etiam diligentia de eruditione plebis

---

Coustant. l. c. 1066): „nec silere possumus, quum hoc, ut ab illicitis revocemus aliquos, officii nostri provocemur instinctu: in speculis a Deo constituti, ut vigilantiae nostrae diligentiam comprobantes et quae coercenda sunt resecemus et quae observanda sunt sanciamus.“

[1]) in ep. 12 ad Phot. (l. c. 786).

[2]) ep. 98 cit. (l. c. 1021 sec. epist. Felic. III), ep. 99 ad Phot. (l. c. 1046), ep. 100 ad Bard. Caes. (l. c. 1055).

[3]) in ep. 100 l. c. 1055.

[4]) Secundum simile a Coelestino P. dictum („omnes habet b. Petri cura praesentes“ in ep. 22 ad syn. Eph. n. 6 ed. Coust. l. c. 1200) Nicolaus in ep. 24 ad Steph. comit. (l. c. 805).

[5]) in ep. 62 ad Ansgar. (l. c. 876).

[6]) cf. ep. 61 resp. ad legat. Salom. (l. c. 874), ep. 62 ad Ansg. (l. c. 876), ep. 63 ad Horic. reg. Dan. (l. c. 879), ep. 87 ad Rimbert. (l. c. 962); de Bulgar. convers. autem Baron. ann. 867 n. 1 ss. et Pagi crit. a. 866 n. 5 ss.

christianae instituit. [1]) Pro veritate christiana contra haereses vindicanda autem et ipse autoritate sua strenus ubique aderat, [2]) et ut ejusmodi libri suspecti, antequam ederentur, ipsius approbationi submitterentur, postulavit. [3]) Omnino Sedis Aplicae de doctrina christiana auctoritatem in ecclesia catholica et primam et summam esse, pro certissimo posuit. [4]) Deinde similiter de culto divino digne celebrando, [5]) de conservando disciplinae ecclesiasticae vigore, [6]) de tuendis monasteriorum et ecclesiarum

---

[1]) in ep. 118 ad Adon. Vienn. „de sent. et intdict. S. A.“ n. 4 (l. c. 1121) „ut archieppi et eppi plebes vel ecclias baptismales in dioecesibus suis more antiquo constituant, ... ut ibi conventus populorum celebrior fiat et doctrina fidei ac christianitatis in unum congregatis liberius praedicetur.“

[2]) ex gr. contra errores Godeschalci (cf. Prudent. ann. 859 apud Pertz Monum. I. 453) et Johannis Scoti Erigenae (cf. Nic. Ep. 115), contra Iconomachos et alios haereticos (cf. ep. 4 ad Mich. imp. l. c. 777, ep. 46 ad eund. l. c. 855, syn. Rom. a. 863 Muratori Script. rer. Italic. II, 2, 127 ss.)

[3]) in ep. 115 ad Carol. Calv. (l. c. 1119) „Quod (sc. opus Dionysii Areopag. de div. nominib. a Joanne Scoto in latinum translatum) juxta morem nobis mitti et nostro debuit judicio approbari, praesertim quum idem Joannes, licet multae scientiae esse praedicetur, olim non sane sapere in quibusdam frequenti rumore diceretur.“ cf. Staudenmaier „Joh. Scot. Erig.“ S. 159, 165 ff. Mabillon „Acta Sanctor. Ord. Bened.“ saec. IV. pars II.

[4]) ex gr. in ep. 98 ad Mich. imp. (l. c. 1022): „in omnibus conciliis semper ab A. S. scriptum prolatum et ordine praeponitur et scripturis ceteris antecellit...,“ (l. c. 1021) quasi „speculum, ut si qua turpitudo vel macula in fidei pulchritudine a quolibet tentaretur induci patesceret, et quasi quaedam rectitudinis formula, qua imprimi ceteri possent.“ ep. 104 cit. (l. c. 1078): „haec sunt, quae vos tanto studiosius oportet amplecti tanto sollicitius observare, quanto satius nostis, quae ab S. A. statuta fuerint, haec universalem semper eccliam tenuisse, ita ut contra singulos errores .. prior haec secundum primatus sui autoritatem sententiae terminum dederit, et ita demum universalis ecclia, licet aliquando per aliquantulum temporis in quibusdam reluctata sit, quae illa tamen probavit, quandoque probaverit, et quae illa refutavit, ipsa refutaverit.“

[5]) cf. decreta cit. Nicol. ad Adon. Vienn. n. 4. 5, ep. 123 ad Joann. Rav. (de catechismo baptizandorum).

[6]) Praeter permulta ab illo de poenitentia constituta (cf. dissert. prior. „de Nic. leglat. eccl.“ p. 26 ss.) sufficiat hic sapientissimum illud ejd. de excommunicationis usu decretum addidisse (ex decr. ad Adon. cit. n. 7): „ut non temere excommunicationes fiant, ne autoritas episcopalis vilescat.“

possessionibus [1]) aliisque id genus permultis rebus acriter vigilavit. Pro defendenda denique dignitate sacerdotali [2]) et matrimonii sanctitate [3]) contra vitiorum inquinamenta et potentiorum violentias ita processit, ut ibi ad internecionem usque laborare videretur.

B. Circa legislationem ecclesiasticam.

Secundum ideam, quam de ratione Primatus Romani conceperat, Nicolaus Sedi Aplicae non potuit non summam etiam in ecclesia legislationem attribuere. „Constat enim, ad Photium scribit (ep. 12 l. c. 786), s. Romanam ecclesiam per b. Petrum ... omnium ecclesiarum caput esse, et ab ea rectitudinem atque ordinem in cunctis utilitatibus et ecclesiasticis institutionibus ... exquirere ac sectari. Et ideo consequens est, ut quod ab hujus Sedis rectoribus plena auctoritate sancitur, nullius consuetudinis praepediente occasione proprias tantum sequendo voluntates removeatur, sed firmius atque inconcusse teneatur.“ [4])

---

[1]) Non solum multa pro securitate ecclesiarum et monasteriorum privilegia concessit (ex gr. a. 859 pro monast. Fuld. l. c. 770 ss.), a. 863 pro ecclia Bellovac. et monaster. Corbej., Sandionys. et S. Karilefi (l. c. 813 ss., 815 ss., 820 ss. et 846 ss.), sed quum rapinae ejusmodi tunc in Galliis fere consuetae essent, non destitit, quin et reges ideo moneret (ex gr. ep. 73 ad Carol. Calv. l. c. 896, ep. 95 ad eund. l. c. 976) et pertinaces anathemate feriret (ex gr. ep. 16 ad Adon. Vienn. l. c. 797, ep. 73 cit., ep. 111 ad nobiles Aquit. l. c. 1114, ep. 122 l. c. 1124 al.).

[2]) Notissimae ibi causae sunt: Ignatii Ctpltni, Rothadii Suessionensis, Sigonis Avernensis (cf. ep. 24 l. c. 805), et Britannicorum episcoporum (cf. ep. 25 l. c. 806 ss., ep. 91 et 92), sicut Wulfadii sociorumque ejus clericorum (cf. ep. 89, 90, 96, 107—110). Praeterea cf. dissert. prior. „de Nic. leglat. eccl.“ p. 11 ss.

[3]) Praeter plurima de matrimonio constituta (cf. dissert. prior. p. 14 ss.) hic praeprimis memorandum, quantum ab illo circa matrimonium Lotharii regis et Bosonis comitis (cf. ep. 6, 7 syn. Rom. 863 cit.) laboratum sit.

[4]) Similiter Gelasius in ep. ad eppos Lucaniae n. 9 (Iustelli „biblioth. jur. can. vet.“ I. 241, Hard. II. 900) dicit: „satis indignum est, quemquam vel pontificum vel ordinum subsequentium hanc observantiam refutare, quam b. Petri sedem et sequi videat et docere, satisque conveniens sit, ut totum corpus ecclesiae in hac sibimet observatione concordet, quam illic vigere conspiciat, ubi Dominus ecclesiae totius posuit principatum.“ Ceterum plura de ea re cf. dissert. prior. „de Nic. leglat.“ p. 2 ss. et pag. 30 ss.

„Si Romanorum Pontificum decreto, ad episcopos Galliae remonstrat (ep. 75 l. c. 901), ceterorum opuscula tractatorum approbantur vel reprobantur, ita ut quod S. A. probat, hodie teneatur acceptum, et quod illa repulit, hactenus inefficax habeatur: quanto potius quae ipsa pro catholica fide pro profanis dogmatibus repellendis pro variis et multifariis ecclesiae necessitatibus et fidelium moribus diverso tempore scripsit, omni debent honore praeferri et ab omnibus prorsus in quibuslibet opportunitatibus discretione vel dispensatione magistra reverenter assumi.“ „Legite sacros canones, Rodulphum Bituricensem ejusque episcopos adit (ep. 65 l. c. 882), et synodalia gesta revolvite et videte, quod Sedi Aplicae (ubique summum judicium), utpote cui facultas est in tota Christi ecclesia leges speciali praerogativa ponere ac decreta statuere et sententias promulgare.“

Unde primum id pro certissimo voluit, decreta omnia S. A. pro communi ecclesiae salute emissa valere et a cunctis stricte sequenda esse. „Si quis dogmata mandata interdicta sanctiones vel decreta, in syn. Rom. a. 863 c. 5. edixit, pro catholica fide pro ecclesiastica disciplina pro correctione fidelium pro sceleratorum emendatione vel interdictione imminentium vel futurorum malorum a S. A. praeside salubriter promulgata contempserit, anathema sit.“ Quapropter, ubi necessarium duxit (sicut ex. gr. in causa Ignatii, Loth. et Theutb.), episcopis injunxit, ut „litteras ipsius in omnibus parochiis notas facerent, de iis praedicarent et eas fideliter exsequerentur.“ [1]) Ac recte ibi illorum opinionem rejecit, qui ea tantum decretalia Pontificia obligare volebant, quae in codice canonum (sc. usitata eorum collectione Dionysiana) continerentur. (Cf. prior. dissert. „de Nic. leglat. eccl.“ App. I). Secundum Leonis et Gelasii exemplum merito replicavit, [2]) „nullam differentiam esse inter ea decreta, quae in codice canonum haberentur S. A. praesulum, et ea, quae prae multitudine vix per singula voluminum

[1]) cf. ep. 11 ad omnes fideles (l. c. 785), ep. 93 ad univ. eppos (l. c. 973).

[2]) in ep. 75 ad eppos Galliae (l. c. 903).

corpora reperirentur." Quin saepius episcopos de cognoscendis illis decretalibus et privilegiis ad archiva sive cathedralia sive Romana relegavit. [1])

Deinde circa concilia Nicolaus Sedis Aplicae potestatem ita exseruit, ut illa prorsus ad ejusdem nutum et arbitrium consistere vellet, ut videlicet urgentibus causis gravibus jussu ipsius convocarentur, ab ipsa postea dirigerentur et approbarentur, ipsius demum consensu ab omnibus reciperentur. — Primum igitur de ejusmodi convocatione sic ad Carolum Calvum scripsit (ep. 18 l. c. 799): „Sedes haec sancta ac praecipua, cui Dominici gregis est sollicitudo curaque commissa, in omnibus mundi partibus rectitudinis suae dispositione salubri cuncta ordinare perficereque divino freta procurat auxilio, et quod singulari pro auctoritate perficere valet, multorum saepe sacerdotum decernit definire consensu et justitiae censura ea scilicet emendanda deliberare, quae perperam atque enormiter fuerint alicubi commissa." Haecque ipsa ratio et conditio erat, qua episcopos ex singulis Galliarum regnis ad synodum Metensem invitavit (cf. ep. 18—20 l. c. 798 ss.). Similiter quum in causa Lotharii aliorumque negotiorum ecclesiasticorum concilium Romae congregare voluisset, postea de eo cum Ludovico et Carolo regibus ita expostulavit (ep. 83 l. c. 922): „quum novitatum mala multiplicari videamus, si ex diversis provinciis fratres in invicem convenissent juxta priscum morem, et nos consensu illorum revelante Domino quae decernenda sunt decerneremus, et ipsi necessitates suas referentes et nos nostras exponentes, quae decreta fuissent melius in omnium notitiam facerent pervenire . . .: sicque fieret, ut secundum qualitatem morbi medicina conficeretur et ad sananda vulnera longe lateque effunderetur." Praeterea concilium generale (i. e. totius

---

[1]) ep. 65 ad Rodulph. Bituric. (l. c. 882): „. . . quae in praesenti pagina scribimus, vos affatim in archivis vestris recondita possidere arbitramur." ep. 75 cit. (l. c. 901) „absit ut cujuscunque . . . decretalia constituta . . . debito cultu non amplectamur, quae antiquitus s. Romana ecclesia conservans . . . penes se in suis archivis et vetustis rite monumentis recondita veneratur."

regni) quidem sine A. S. praecepto nulli fas esse vocandi," omnino proclamavit (sermo ej. in causa Roth. l. c. 891). Nusquam tamen usque eo progressus est, ut (id quod Pseudo-Isidorus vult) nulla concilia injussu S. A. celebranda edixisset. — Deinde autem approbationem S. A. iis accedere necessarium posuit, si universaliter valere vellent. „Romana ecclesia, ad Mich. imperat. exposuit (ep. 86 l. c. 947), collecta concilia sua auctoritate firmat, sua moderatione custodit. Unde quaedam eorum, quia consensum Romani Pontificis non habuerunt, valetudinem perdiderunt." „Quod robur, Rodulphum Bituricensem ejusque episcopos monuit (ep. 65 l. c. 882), concilia vestra obtinere valebunt, si suam perdiderit Sedes Aplica firmitatem, sine cujus consensu nulla concilia vel accepta esse leguntur?"

Satis notum est, in his quoque illum nil nisi antiquam ecclesiae regulam reddere. Ommisso enim jam Julii I exemplo, [1]) multisque illis synodis, quae S. A. confirmationem requisierunt, [2]) Innocentius I ita ad eppos conc. Carth. a. 417 scripsit (ep. 29 n. 1. Coustant. l. c. 889): „patres non humana sed divina decrevere sententia, ut quidquid quamvis de disjunctis remotisque provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad hujus sedis notitiam perveniret, ut tota hujus auctoritate justa quae fuerit pronuntiatio firmaretur." Quin vel verba, quae audivimus, Nicolao Gelasius subministrasse videtur, qui in ep. ad eppos Dardaniae (Hard. II. 907) pronuntiavit: „prima sedes et unamquamque synodum sua auctoritate confirmat et continuata moderatione custodit, [3]) pro suo scilicet principatu, quem b. Petrus aplus Domini voce perceptum ecclesia nihilo-

---

[1]) In quo Socrates H. E. 2, 17 addit „τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ κανόνος κελεύοντος, μὴ δεῖν παρὰ τὴν γνωμὴν τοῦ ἐπισκόπου Ῥώμης κανονίζειν τὰς ἐκκλησίας" (Epiph. hist. trip. 4, 9 „quum utique regula ecclesiastica jubeat, non oportere praeter sententiam Rom. Pontif. concilia celebrari nec episcopos damnari").

[2]) cf. Walter K.-R. 11te Aufl. §. 19 not. 10 ss.

[3]) Eadem verba repetit Hadrianus I in ep. ad Const. et Iren. (syn. Nic. II. act. 2., Hard IV. 94).

minus subsequente et tenuit semper et retinet.“ Qui idem de ipsa synodo Chalcedonensi ita docuit (in tomo de anath. vincul. l. c. 929): „Cognoscant, synodum Chalc. secundum canones regulasque eccliae pro fide communi et veritate catholica et apostolica, pro qua eam fieri Sedes Aplica delegavit factamque firmavit, a tota ecclesia indubitanter admitti; alia autem, quae per incompetentem praesumptionem illic prolata sunt —, quae S. A. gerenda nullatenus delegavit, mox a vicariis S. A. contradicta manifestum est.... (l. c. 933). Ita quod firmavit in synodo Sedes Aplica, hoc robur obtinuit, quod refutavit, habere non potuit firmitatem.“ Ex hac eadem Gelasii autoritate, quam Nicolaum hic mere secutum esse manifestum, simul concludendum est, approbationem ejusmodi non nisi pro universali synodi valore ab eo necessariam postulatam. Certe provinciales aut dioecesanas synodos jam omnino approbandas esse, nusquam ab eo pronuntiatum invenimus.

C. Circa jurisdictionem ecclesiasticam.

De jurisdictione Romani Pontificis jam Gelasius in commonitorio ad Faustum ita vindicavit (Hard. II. 886): „quaero ab his, judicium quod praetendunt, ubinam possit agitari?... Si quantum ad religionem pertinet, nonnisi Sedi Aplicae juxta canones debetur summa judicii totius. Si quantum ad saeculi potestatem, illa a pontificibus et praecipue a b. Petri vicario debet cognoscere, quae divina sunt, non ipsa eadem judicare... Apostolica (igitur) sententia totam semper ecclesiam dijudicat.“ Eandem igitur jurisdictionem summam esse, Nicolaus quoque ubique praedicavit et factis exsecutus est. „Sedi Apostolicae, ad Rodulphum Bituric. scripsit (ep. 65 l. c. 882), non solum quoslibet metropolitanos, quorum causa eidem est semper servanda, verum etiam patriarchas moris est pro emergentium qualitate damnare vel etiam absolvere, jusque semper et fas habuit, de omnibus sacerdotibus judicare, utpote cui facultas est, in tota Christi ecclesia leges speciali praerogativa ponere ac decreta statuere ac sententias promulgare.“

Quare primum secundum antiqua decretalia [1]) id ubique tenuit, ipsius judicium ita summum esse, ut de eo nec appellari nec retractari permissum. „Propter primatum ecclesiae Romanae in b. Petro concessum, ad Hincmarum exposuit (ep. 152 l. c. 1158), nemini est de Sedis Aplicae judicio judicare aut illius sententiam retractare permissum.“ „Siquidem ad S. A., Michaelem imperatorem docuit (ep. 86 l. c. 954), de qualibet mundi parte canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo est appellare permissus.“ [2]) Appellationibus igitur totius orbis Christiani eandem Sedem patere voluit, idque sive post [3]) sive ante judicium proximi fori competentis. Nec hoc ipsum revera novum et inusitatum esse, jam antea ostendimus (cf. dissert. prior. „de Nicol. leglat. eccl.“ p. 17, 20 ss.)

Praeterea exinde etiam id jus Nicolaus Sedi Aplicae vindicavit, ut ei liceret, certas causas certaque judicia sicut absolutiones a certis censuris omnino sibi reservare. Ita praeter illas reservationes, ubi in legitimo foro proximo justitia periclitari videretur, [4]) saepius ejusmodi privilegia perpetua aut monasteriis aut episcopatibus tribuit. [5]) Quibus addidit, ut non solum secundum antiquam consuetudinem patriarcharum et

---

[1]) Ipse Nicolaus Bonifacium et Gelasium in hac re citat, qui revera prorsus idem praedicarunt. cf. Bonif. ep. 15 ad Ruf. et eppos Thess. (Coust. l. c. 1042), Gelas. commonit. ad Faust. (Hard. II. 885), ep. 7 ad eppos Dard. (l. c. 908 sq.).

[2]) Similiter in ep. 65 cit. (l. c. 882), ep. 74 ad Hincm. (l. c. 898), ep. 148 ad Car. Calv. (l. c. 1144), ep. 149 ad Loth. reg. (l. c. 1148).

[3]) Hoc quidem jam antiquitus sine ulla contradictione observatum est, quare nihil amplius addendum.

[4]) ex. gr. de Ign. et Phot. (ep. 86 l. c. 954, ep. 98 l. c. 1043), sicut de episcopis et presbyteris ibi depositis (ep. 46 l. c. 854, ep. 101 l. c. 1060, ep. 104 l. c. 1077), de Rotberto eppo Cenomanic. ab Hincmaro lacessito (ep. 54 l. c. 867), de Lothario et Theutberga (ep. 146 ad Theutb. l. c. 1138, ep. 149 ad Loth. reg. l. c. 1149).

[5]) ex. gr. Hincmaro Rhemensi (ep. 32 l. c. 822), monasterio Fuldensi (l. c. 771), Corbejensi (l. c. 818), Sandionys. (l. c. 820), s. Karilefi (l. c. 850).

metropolitanorum judicia, [1]) sed etiam „exitus negotiorum episcoporum" [2]) Sedi Aplicae soli remanerent. Tum omnino ubi semel haec suscepisset judicium, cuilibet alii ita praeclusa esset sententia voluit, ut ne partibus quidem forum mutare liceret. [3]) — Denique etiam circa censurarum absolutionem ejusdem similem potestatem contendit. Cum b. Gelasio (ep. 7 ad eppos Dard. Hard. II. 909) pronuntiavit (in ep. 75 l. c. 906): „non tacemus, quod cuncta per mundum novit ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata pontificum sedes b. Petri jus habeat resolvendi, utpote quae de omni ecclesia fas habeat judicandi." „Damnatus enim solum ab eo, qui eum sequestravit, aut certe a prima Sede jure potest absolvi. Inferior autem vel compar antelatum vel comparem non annuente majore absolvere non potest. . . . Proinde inferioris loci episcopi eos, quos potior suus ligavit, sine prima Sede absolvere non possunt." [4]) — Quin vel aliquas censurarum absolutiones sibi reservasse invenitur. Quum enim Stephanus comes quidam Avernensis de violenta episcopi dejectione aliisque criminibus delatus esset, ipse ei severissime injunxit, ut dejectum restitueret et de aliis accusationibus legatis suis in synodo satisfaceret, „alioquin a vini et carnium participatione excommunicatus, quoadusque Romae in ipsius speciali praesentia districtam rationem positurus assisteret;" similiter et de episcopo intruso constituit (ep. 24 l. c. 806). Denique si fides habenda epistolae ejusdem ad eppos Galliae a Gratiano c. 2. C. XV. qu. 6 et

[1]) utrumque juxta morem veterem causas majores ad S. A. deferendi. De metropolitis quidem idem etiam Gratianus imperator a. 379 publici juris fecerat (rescript. ad Aquil. Hard. I, 843).

[2]) Etsi Nicolaus in causa Rothadii simpliciter causas omnes episcoporum Sedi Aplicae reservare videtur, tamen non sunt nisi causae, quibus de gravioribus eorum poenis agitur aut obscuritas aliqua concurrit. Ubi districte loquitur, solum „negotiorum illorum exitus" (l. c. 904), aut „si quaelibet ambiguitas vel aliqua fortasse super ejusmodi examinatione vel episcopatus abrenuntiatione oborta fuerit contentio," judicium ad S. A. vocat, alias primati relinquit (ep. 84 l. c. 925).

[3]) ep. 155 ad eppos in regn. Lud. (l. c. 1173).

[4]) ep. 98 (l. c. 1029), ep. 104 (l. c. 1081).

ab Honthemio in hist. eccl. Trevir. I, 197 editae (Migne l. c. 782), etiam a juramentis et cujuscunque modi obligationibus injuste expressis absolutionem impertiit. Verum confictam illam epistolam esse, satis consentaneum est. [1])

---

[1]) Suspectae fidei hanc epistolam esse jam dudum viri docti declararunt cf. c. 2. C. XV. qu. 6. ed. Richter not. 17, Jaffé „Regesta Pontiff. n. 2027. Quorum rationes mihi quidem non adsunt, sed ipse illam Nicolao I prorsus false tribui, re vera Nicolai II esse pro certo habeo. — Primum quidem constat, eam, si vere genuina esset, utique intra spatium a. 859 et 862 ponendam esse, quo anno Theutgaudus Treviranus facinoris Lotharii complex jam nimis reus apud Nicolaum exstitit, quam ut hic tali data occasione ei tantam fidem tantamque autoritatem tribuerit (a. 863 vel excommunicatus ante impetratam reconciliationem a. 867 e vivis decessit. Hincm. ann. 867 ed. Pertz I. 476). Sed frustra circa illud tempus in annalibus omnibus simile quid turbarum Treviris factum quaesieris (cf. annal. Coloniens. l. c. I. 97, Fuld. l. c. 373 sq., Bertin. l. c. 453 ss., chronic. Norm. l. c. 533, Regim. l. c. 570 ss., annal. Maximini Trevir. l. c. II. 213, V. 6, Xantens. l. c. II. 230, Corbej. l. c. V. 3 etc.), quamquam vel leve portentum ibidem visum longius memoriae traditum invenitur (cf. annal. Bertin. a. 857 l. c. I. 450, Corbej. l. c. V. 3). Nec in actis ejusdem aetatis publicis (ex. gr. synod., convent., diplomat.) ejus sceleris ne vestigium quidem apparet, quum tamen Thietgaudus, et gratia regis Lotharii et ordine hierarchico unus inter primores, sane in synodis non minus quam in aula regia injuriam sibi inussam persecuturus fuisset. — Contra autem tempore Eberhardi eppi Trevirani et Nicolai P. II. ejusmodi scelus patratum narratur, quod quantum cum nostra epistola consentiat statim apparet. Habent de eo Gesta Trevirorum (ed. Pertz l. c. VIII. 174): „hic (Eberhardus) aliquando, dum dioeceses circuiret, a Cunrado comite de Lucelenburg captus est, vestimenta sacerdotalia a militibus direpta, pallium discissum, corpus Dominicum violatum et in terram projectum, chrisma unctionis effusum est, episcopus ad Lucelenburch in custodiam delatus est. Treberi nihil eorum, quae ad divinum officium pertinent, celebrare voluerunt, donec Romanum Pontificem de hac re per internuntios interpellarent. Interim Conradus comes compulsus a plurimis episcopum dimisit. Romanus Pontifex Conradum excommunicavit et Eberhardo absolvendum commisit etc.“ Quam eandem rem Supplementum longius ita prosequitur (l. c. 182): „Quo nuntio Treberi perlato omnia divini ministerii jura celebrari intermissa sunt, donec Romanus Papa, quid de hoc diffiniret, interrogaretur. Qui eundem Conradum omnesque ejus complices facto generali consilio excommunicavit, sed ejus absolutionem poenitentis episcopo commisit. ... Interim vero episcopus a captivitate datis obsidibus rediit,

D. Circa administrationem ecclesiasticam.

Jam supra vidimus, quomodo Nicolaus secundum exemplum majorum suorum Sedi Apostolicae „universalis ecclesiae curam et sollicitudinem" ex divina institutione asseruerit. Ex quo ipso summa administrationis ecclesiasticae pendet. „Sedes haec sancta et praecipua, loco jam antea laudato explicat, cui Dominici gregis est sollicitudo curaque commissa, in omnibus mundi partibus rectitudinis suae dispositione salubri cuncta ordinare perficereque divino freta procurat auxilio." Pro describendo autem hujus curae hierarchico ordine Leonis M. verba adducit, [1]) quae vere rem totam optime exhibent. „Etiam inter apostolos, ait, in similitudine honoris fuit quaedam discretio potestatis, et quum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut ceteris praeemineret. De qua forma episcoporum quoque orta est distinctio et magna dispositione provisum est, ne omnes sibi

---

nec multo post comitem poenitentem suscepit, cui pro poenitentia peregrinationem Jerosolomitanam injunxit, in qua et obiit." —

In qua narratione sicut in nostra epistola episcopus captus et demum sub certis conditionibus dimissus, Papa consultus, quae injuste extorta, rescindens illique sceleratorum poenam mandans invenitur. Quare quum nomen quoque Nicolai Papae idem, nihil dubito, quin ad eam illa epistola referenda sit (nam Thietgaudi nomen a Gratiano non memoratur nec Nicolaus I dicitur, sed solummodo inscriptio: „Nicolaus Papa episcopis Galliae").

Denique etiam internae, quas dicunt, causae huic nostrae sententiae suffragantur. Nicolaus, ut infra in App. I videbimus, Pseudo-Isidorianam autoritatem nunquam alias nominatim advocavit, quin tale quid etsi utilitate summe suadente semper ommisit, quasi ejusmodi codicem prorsus ignoraret. Hic igitur unicus locus esset, idque nulla omnino causa rationabili urgente. Ipsi autem idem Nicolaus eodem fere tempore mere contradixit. Quum enim hoc loco episcopo Thietgaudo injungat, ut „spirituali simul et materiali gladio malignos illos eorumque fautores insequatur," Carolo archiepiscopo Moguntino a. 863 scribit (ep. 26 ed. Migne l. c. 811): „sancta Dei ecclesia gladium non habet nisi spiritualem ac divinum, non occidit sed vivificat." Ibi igitur Nicolaus I duos gladios ecclesiae commissos libere negat, id quod illic aperte assertum est. Ac revera ejusmodi doctrina sicut illius tempore fere ignota, ita praeprimis inde a medio saeculo MC usitatissima fieri coepta est. Quare etiam ea ex parte epistola illa a Nicolai I ad Nicolai II aetatem transmittitur.

[1]) in ep. 75 cit. (l. c. 900) cf. Leo I ep. 88 ad Anast.

omnia vindicarent, sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia, et rursus quidam in majoribus urbibus constituti sollicitudinem ejus susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri sedem universalis ecclesiae cura confluerет et nihil unquam a suo capite dissideret." — Si denique singula ejusmodi officia quaerimus, quae ille Sedi Aplicae vindicaverit, fere haec sunt.

Primum novas institutiones aut transmutationes dioecesium ab approbatione S. A. pendere voluit. „Ecclesia nulla, cum Gelasio proclamavit, [1] sine S. A. instituetur nutu, quando juxta sacra decreta nec ipsa debet absque praeceptione Papae basilica noviter construi." Secundum hanc regulam, ut exempla quaedam proferam, Hamburgensi dioecesi Bremensem conjunxit eique sustentandae monasterium Ramesloa dioecesis Verdensis assignavit, similiter ecclesiae Bellovacensi monasteria Oratorium et Flaviacum secundum Caroli Calvi dispositionem confirmavit. [2] — Deinde pro jure suo Pontificio vindicavit, episcopos praeprimis metropolitanos vicariosque apostolicos [3] noviter con-

---

[1]) frgm. ep. ad elect. et cler. Nonens. (l. c. 1130), ep. 82 ad Arduic. Besont. (l. c. 920). cf. Gelas. ep. 5 ad eppos Lucaniae c. 4 et 25. (Hard. II. 899, 904). Ceterum haec praeceptio a dictis Pontificibus solum pro primatiae Romanae districtu („provinciis suburbicariis, cf. Binterim Denkwk. I, 2, 492, Wiltsch „Hdb. d. kirchl. Geogr. und Statist." I. p. 75—87) prolata, Nicolaus eam ad universalem ecclesiam extendit, id quod tamen nunquam publici juris factum est.

[2]) cf. ep. 62 (l. c. 877), ep. 28 (l. c. 814).

[3]) Ita Ansgarium archiepiscopum Nordalbingorum et legatum aplicum in illis regionibus constituit cf. ep. 61 n. 4 (l. c. 874), ep. 62 cit. Britannis autem novum metropolitanum dare renuit cf. ep. 25, 85, 91—92. l. c. 969 ss. — Ceterum simile quid patriarchis omnibus in suis dioecesibus competebat. Nicol. resp. ad cons. Bulgar. c. 73 „in loco, ubi nunquam patriarcha vel archieppus est constitutus, a majori est primitus instituendus;" conc. Ctplt. IV a. 870 c. 17 (Hard. V. 906): „praesules sedium patriarchalium universorum metropolitanorum, qui ab ipsis promoventur et sive per manus impositionem sive per pallii dationem eppalis dignitatis firmitatem accipiunt, habeant potestatem etc." cf. etm. Binterim „Denkwk." III, 1 S. 200.

stituere, usum pallii impertire,[1]) et alia privilegia tam episcopis[2]) quam monasteriis[3]) concedere. In quibus de pallio quidem ex consuetudine ecclesiae Germanicae[4]) haec duo ad communem usum transtulit, ut dignitas archiepiscopalis ab illo accepto penderet,[5]) utque professio quaedam orthodoxae fidei et fidelitatis scriptis vel etiam juramento facta antecederet.[6]) Denique vel de eligendis episcopis

---

[1]) Ex. gr. Adelovino Salzburgensi (ep. 3 l. c. 772), Adoni Viennensi (ep. 15 l. c. 796), s. Ansgario Hamburgensi (l. c. 877), ejusque successori s. Remberto (l. c. 963), Egiloni Senonensi (ep. 95 l. c. 976). Verum et hic tantum vestigia praedecessorum suorum secutus est, idque tam caute, ut ex. gr. contra jus Turonensis metropolis eppo Dolensi pallium detrectaret cf. ep. cit. 85, 91 et 92.

[2]) ex. gr. Hincmaro Rhemensi (ep. 32 l. c. 822), Adoni Viennensi (ep. 151 l. c. 1152). In ep. 66 ad Rodulph. Bituric. n. 2 (l. c. 884) autem idem jus universe significat: „primates vel patriarchae (non nisi canonicam potestatem exerceant), praeterquam si Apostolica Sedes aliquam ecclesiam vel rectorem ipsius quolibet speciali privilegio decreverit honorare."

[3]) Monast. privileg. vid. supra p. 16 n. 5 et dissert. prior. „de Nic. leglat. eccl." p. 9 ss.

[4]) S. Bonifacius, quum a Gregorio II eppus Germaniae constitueretur, secundum morem in ecclesia Romana a Gregorii I (ut videtur) tempore obtinentem (cf. „Lib. diurn." Cap. II tit. 9 et Cap. III tit. 6 et 8) juramentum fidei et fidelitatis ecclesiasticae praestiterat (Hard. III, 1857 sq.). Qui quum a Gregorio III archiepiscopali pallio decoratus (cf. Hard. III, 1867), reformationem illarum ecclesiarum susciperet, in prima synodo Germanica, ut omnes Galliarum metropolitani similes professiones ederent et pallia a Romano Pontifice peterent, curavit (Bonif. ep. 1 ad Cutbert. archiep. Dorob. Hard. III, 1925). Similis professio in acceptione pallii inde ex illo tempore magis magisque in usum communem transiisse videtur (cf. „Lib. diurn." Cap. IV tit. 1 et 2. „Flodoard. hist. eccl. Rhem." II, 17).

[5]) Nic. resp. ad cons. Bulgar. c. 73 (l. c. 1007): „(archieppus noviter constitutus) interim in throno non sedeat et praeter corpus Domini non consecret, priusquam pallium a Sede Romana percipiat, sicuti Galliarum omnes et Germaniae et aliarum regionum archieppi agere comprobantur."

[6]) Adoni Viennensi (ep. 15 l. c. 796), Remberto Hamburgensi (ep. 87 l. c. 964) et Egiloni Senonensi (ep. 94 l. c. 974) pallia tribuens in postulanda fidei expositione fere nil nisi formam libri diurni Cap. IV tit. 1

interdum antea ad Sedem Apostolicam referretur postulavit; [1]) resignationem autem sicut dejectionem episcopi semper a sua voluntate pendere voluit. [2])

Ex eadem illa summae administrationis autoritate denique etiam id deduxit, ut Sedes Apostolica de exsequenda justitiae censura opportunum semper et tempus et modum expectandi licentiam haberet. Quum a quibusdam vituperaretur, quod excommunicata Waldrada Lotharium non eadem sententia feriret, rescripsit: [3]) „licet nulli jactanter haec proferenti nobis necesse sit respondere, congruit tamen, ut a cujus auctoritate sanctio ista digreditur, in ejus praerogotivae affluentia, quisquis ille est, hujus rei solutionem quaerat; eo quod auctoritas apostolica, ad quam universarum cura confluit ecclesiarum, idonea, quibus omnibus consulat, moderamina satis habeat, per quae et indoctos quosque disciplina salutis instruat et exprobratoribus dispensatorie modum dignae discretionis imponat.“ — In quibus fere idem exsecutus videtur, quod sapientissime Gregorius I ad s. Augustinum scripsit (ep. XII, 31 n. 7 ed. Paris 1605 t. IV p. 466): „in hoc tempore s. ecclesia quaedam per fervorem corrigit, quaedam per mansuetudinem tolerat, quaedam per considerationem dissimulat atque portat, ut saepe malum, quod aversatur, portando et dissimulando compescat.“

---

et 2 execcutus est. In constituendo s. Ansgario autem, nescio an s. Bonifacii exemplum intuitus, ejusmodi juramentum poposcit (ep. 62 l. c. 879): „porro te pallio uti nonnisi more Sedis concedimus Aplicae, sc. ut successores tui per semetipsos vel legatos fidem nobiscum tenere, ac sanctas sex synodos recipere necnon decreta omnium R. S. praesulum et epistolas, quae sibi delatae fuerint, venerabiliter observare atque perficere omnibus vitae suae diebus scripto se et juramento profiteantur.“

[1]) Ita Treviris et Coloniae dejectis Theutgaudo et Gunthario successores eligi vetuit, antequam ad S. A. super hoc relatum fuerit (frgm. ep. 58 ad Loth. l. c. 869).

[2]) De dejectione quidem episcoporum cf. diss. prior. „de Nic. leglat. eccl.“ p. 21 ss. Resignationem eorum autem nonnisi ubi prorsus libera erat, admisit, ubi aliquatenus coacta videretur, rejecit cf. ep. 1 (l. c. 770), ep. 61 n. 5 et 6 (l. c. 874), ep. 128 (l. c. 1127).

[3]) ep. 93 ad univ. eppos (l. c. 973).

E. Circa externos honores.

Non in animo est, hoc loco honores ecclesiasticos recensere, qui Romani Pontifici sicut antiquitus ita et hoc tempore a clero et plebe christiana impendebantur. Solum illos efferam, quibus ejusdem jam principatus, ut ita dicam, civilis aliquatenus probatur. — Prae omnibus igitur memoratu dignum est, quod Nicolaus primus coronatus esse narratur. [1]) Qua re sane id significatum, ipsum ex primatu ecclesiastico etiam vere principem reipublicae cujusdam, fere dixerim, orbis christiani constitui. Nam quum id tunc publice constaret, coronationem non nisi principi neminis imperio subjecto competere, [2]) quumque tale quid illo tempore vix de patrimonio s. Petri praedicari posset, [3]) profecto hoc non erat, unde Nicolaus illam sibi assumeret. Quae quum ita sint, nescio num aliud quid magis convenienter pro causa substitui possit, quam ille, quem dixi, principatus quidam super omnem orbem christianum se extendens. Ad quem forte etiam id referendum, quod paullo post vel Ludovicus II imperator Pontificem adventantem apprehenso equi freno quasi subjectus domnum honestissime pedes deduxit (Anast. l. c.). Ac fortasse illa Nicolai verba jam supra laudata „Dei sumus gratia constituti in domo Ipsius principes super omnem terram,“ fortasse, dico, eadem et ipsa ad hanc partem aliquatenus spectant. Certe id ubique patet, eum circa reges et principes omnes vere ut patrem et principem spiritualem agere. Nec solum sed data occasione etiam expresse postulavit, ut in litteris nomen ipsius nomini cujuslibet sive episcopi sive principis praeponeretur. „Antequam ad haec consulta aliqua rescriberemus, Salomonem

---

[1]) Anastasius „Vit. Pontif.“ n. 579 (ed. Migne Patrolog. t. CXXVIII, 1358).

[2]) Erant sane jam tunc temporis coronae et comitum et ducum (cf. Du Cange Glossar. s. h. v.), sed nullum mihi exemplum notum, ubi simplex et libera coronatio alius, quam principis prorsus liberae dominationis, facta sit.

[3]) cf. Gieseler K.-G. II, 1, 35 ff., Sugenheim „Gesch. der Entstehung und Ausbild. d. Kirchenstaates“ S. 46 ff.

regem Britannorum increpat,[1]) convenerat nobis, pro hoc, quod nomen vestrum apostolico nomini scribendo praeposuistis, vos modesta increpatione corrigere. Tamen quia apostolica mansuetudo neminem repentina unquam invectione redarguit et per negligentiam forte scriptoris hoc evenisse utcunque cognovit, distulit vos modo pro meritis coercere, quod tantum volumus emendetis, quantum correctioni ecclesiasticae pro tam praesumptiva factione subjacere formidatis.“ Unde recte innuitur, ipsum jam in jure publico sibi principatum quendam universalem vindicasse. Cui fortasse id quoque suffragatur, quod idem primus in litteris a principabus et episcopis titulo „Majestatis“ vel „Altitudinis“ honoratus invenitur.[2]) Plenior ejus rei imago etiam sequentibus exhibebitur.

F. Circa potestatem saecularem.

Universim Nicolaus sapientissimam illam Gelasii doctrinam [3]) de discrimine et mutua libertate potestatis ecclesiasticae et saecularis tenebat. „Fuerunt haec ante adventum Christi, secundum illius normam ad Michaelem imperatorem scripsit (ep. 86 l. c. 960), ut quidam typice reges simul et sacerdotes existerent, quod sanctum Melchisedek fuisse sacra prodit historia, quodque in membris suis diabolus imitatus (utpote qui semper, quae divino cultui conveniunt, sibimet tyrannico spiritu vindicare contendit), ut pagani imperatores iidem et maximi pontifices dicerentur. Sed quum ad Verum ventum est, eundem regem atque pontificem, ultra sibi nec imperator jura pontificatus arripuit nec pontifex nomen imperatorium usurpavit. Quoniam idem mediator Dei et hominum homo Christus Jesus sic actibus propriis et dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discrevit, propria volens medicinali humilitate sursum efferri

---

[1]) in ep. 92 (l. c. 970); similiter in eppum Dolensem in ep. 91 l. c. 969) invehit.

[2]) in ep. Adventii eppi Metens. (Hard. V. 321), itd. in ep. Caroli Calvi ad Nicol. (l. c. 689).

[3]) Gelas. ep. 4 ad Anastas. imp. (Hard. II. 893), imprimis autem in tomo de anathem. vinculo (l. c. 934).

non humana superbia rursus in inferna demergi, ut et Christiani imperatores pro aeterna vita pontificibus indigerent, et pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur, quatenus spiritualis actio carnalibus distaret incursibus. Et ideo militans Deo minime se negotiis saecularibus implicaret, ac vicissim non ille rebus divinis praesidere videretur, qui esset negotiis saecularibus implicatus, ut et modestia utriusque ordinis curaretur, ne extolleretur utroque suffultus, et competens qualitatibus actionum specialiter professio aptaretur."

Hanc mutuam utriusque potestatis libertatem deinde saepius strictiusque omnibus ex partibus prosecutus est. „Nolite, l. c. Michaelem imperatorem obsecrat, praejudicium Dei ecclesiae irrogare; illa quippe nullum imperio vestro praejudicium infert, quum magis pro stabilitate ipsius aeternam divinitatem exoret et pro incolumitate vestra et perpetua salute jugi devotione precetur. Nolite quae sua sunt surripere, nolite quae ipsi soli commissa sunt, velle surripere, scientes, quia tanto nimirum a sacris debet omnis mundanarum rerum administrator esse remotus, quanto quemlibet ex catalogo clericorum et militantium Deo nullis convenit implicari saecularibus negotiis." „Sancta Dei ecclesia, ad Carolum archieppum Moguntinum scripsit (ep. 26 l. c. 811), mundanis nunquam constringitur legibus, gladium non habet nisi spiritualem ac divinum, non occidit sed vivificat." „Principes autem, alio loco ait (in priv. Corbej. l. c. 817), debent honorem praestare Deo, quem sibi volunt praestari a Deo, videlicet ut quemadmodum cupiunt a Deo sibi collatum regni honorem conservari, sic ecclesiae Christi suam non dedignentur servare legem." Quapropter eos ecclesiae invitae praelatum nec dare [1]) nec auferre, [2]) immo nihil omnino de ecclesiasticis personis judicare, [3])

---

[1]) ep. 42 et 43 (l. c. 842 sq.), ep. 95 ad Car. Calv. (l. c. 976).

[2]) ep. 100 ad Bard. Caes. (l. c. 1054), ep. 101, 104, et saepius in causa Ignatiana.

[3]) ep. 86 l. c. 960 „Denique hi, quibus tantum humanis rebus et non divinis praeesse permissum, quomodo de his, per quos divina ministrantur, iudicare praesumant, penitus ignoramus." Idque saepius in causa Photii et Ignatii (cf. ep. 98, 104).

nihil de ejusmodi rebus attentare [1]) convenit. Quin Adonem archiepiscopum Viennensem jam severe vituperavit, quod quendam „clericum comitis Gerardi“ vocasset (ep. 81 l. c. 918).

Vinculum tamen inter utramque potestatem ejusmodi intercedere voluit, ut altera alteri ex sua parte praesidio et adminiculo esset. Potestas saecularis, ubi necesse, ad ecclesiae defensionem adesse et curare debet, ut haec pacata et sine diminutione servetur, quare praeprimis ad puniendos blasphemos obstricta tenetur. [2]) Ecclesia contra et precibus suis et autoritate sacrata saluti et stabilitati regnorum multum subvenit. [3]) Praeprimis est Romana ecclesia, „cujus privilegiis usi Germani principes omne dignitatum suarum incrementum omnemque gloriam perceperint, ac si necesse fuerit, deinceps quoque auxilium accepturi sint; quippe haec vere munimenta et documenta omnium esse, qui in sublimitate consistant.“ [4]) — Unde eidem ecclesiae aut potius ejus Pontifici autoritatem quandam supra reges et principes circaque res saeculares vindicavit. Jam supra vidimus, quomodo cum Salomone rege Britannorum de postposito in scriptis suo nomine expostulaverit. Quum autem Lotharius rex viduae Berengarii comitis possessiones ademisset, haecque ad illum confugisset, ipse quidem ad eum „utpote excommunicatum“ scribere renuit, sed patruis ejus

---

[1]) ep. 4 ad Mich. imp. (l. c. 779) „irrationabile est, ut ecclesiastica possessio terrena quavis potestate subtrahatur.“ ep. 111 (l. c. 1114) „in Deum proculdubio committunt et Ipsi praejudicium inferre probantur, quicunque res ecclesiasticas usurpare et sibi non legitime vindicare non metuunt.“

[2]) ep. 42 ad Loth. reg. (l. c. 842), resp. ad consulta Bulg. n. 18 (l. c. 990). Ceterum idem et a principibus ipsis pro justo agnoscebatur. „Praecepit Carolus rex, Lupus Ferrarius ad Amulum Lugdunensem scripsit, ut ejus vobis sermonibus diceremus, se fideliter tenere, quod rex regum idemque sacerdos sacerdotum, postquam humanitatem suam in coelum evexit, semper cum suis futurus divinitate, potestatem suam ad eandem gubernandam eccliam in s a c e r d o t e s d i v i s i t e t r e g e s , u t q u o d s a n c t i d o c e r e n t p o n t i f i c e s , e t i p s i i m p l e r e n t e t i m p l e r i f a c e r e n t d e v o t i s s i m i r e g e s“ (Lup. Ferrar. ep. 81 in „Max. biblioth. Patr.“ ed. Lugd. XV. p. 28).

[3]) cf. ep. 86 l. c. 960.

[4]) ep. 36 ad Carol. Calv. (l. c. 836).

„poscendo direxit, ut ei tam ex S. A. sanctione jubendo quam ex sua parte rogando seu legum autoritate monendo restitutionem injungerent.“ [1]) Similiter „pro cura sua universali“ in Bernardum comitem Barcinonensem propter depraedationes regni Caroli Calvi severe invectus est. [2]) Eadem ratione ad Ludovicum et Carolum, qui contra patrem suum Carolum Calvum rebellaverant, scripsit „se dispositum habuisse apostolici moderaminis correctionem competenter dirigere, quae eos et ab improbis stultisque libidinibus refraenaret et correctos paternae gratiae restitueret.“ — Imprimis ejusmodi autoritatem circa imperatorem asseruit. „Hunc quidem machaerae usum primum a Petri principis apostolorum vicario contra infideles accepisse ait, quapropter eam in Christi fideles convertere nefas; regna ejus per haereditatum jus derivata et A. S. autoritate firmata et summi pontificis manu capiti superposito diademate augustissime decorata esse.“ (ep. 79 l. c. 915.) Unde illud imperium pro sua parte tueri Sedis Apostolicae peculiare officium esse proclamavit. „Sinatur, loco citato pergit, (Ludovicus imperator) omnino a Deo protectum imperium suum, quod cum benedictione et sacratissimi olei unctione Sedis Aplicae praesule ministrante percepit, ad exaltationem et quietem matris suae hujus s. catholicae et apostolicae ecclesiae licenter ac rectissime moderari. Alioquin quisquis contra hujus nostrae salutiferae commonitionis paginam agere forte praesumpserit, et adversus jam fatum filium nostrum augustum referre tentaverit, noverit, sibi et Deum omnipotentem . . . . refragaturum et apostolatum nostrum juxta competens sibi ministerium proculdubio reluctaturum.“ —

In quibus sane Pontificiae illius potestatis, quae inde a Gregorii VII aevo in principes et res publicas dominabatur, saltem germina exstant. Nec mirum id aut praesumptione factum putari debet. Nam partim fervore ingenii christiani, populo recenter ecclesiae inserto, quasi necessario prolatum est,

---

1) ep. 112 ad Carol. Calv. (l. c. 1116).

2) frgm. ep. 88 (l. c. 964).

Certe status rerum tunc ejusmodi erat, ut Nicolaus jam excommunicationem in Lotharium pronuntiare ideo differet, quia exinde „sanguinis effusio bellorumque excitatio," [1]) quin vel „regni ejus dispendium" [2]) timendum. — Deinde idem vel consensu principum populorumque quodammodo provocatum itaque publici juris factum est. Notum est, quomodo ipsi principes saepius Sedem Apostolicam adierint, ut rebelles aut depraedatores autoritate sua arceret. [3]) Quantopere autem ipsi principes regnum suum judicio ecclesiae submiserint, inter multa alia ex hoc ipso tempore id documento est, quod Carolus Calvus, Venilonem archiepiscopum Senonensem in synodo Tullensi a. 859 perfidiae petiturus, in hunc modum accusationem instituerit: „a qua consecratione vel regni sublimitate supplantari vel projici a nullo debueram, saltem sine audientia et judicio episcoporum, quorum ministerio in regem sum consecratus, et qui throni Dei sunt dicti, in quibus Deus sedet et per quos sua decernit judicia: quorum paternis correptionibus et castigatoriis judiciis me subdere fui paratus et in praesenti sum subditus." (libell. proclamationis d. Caroli adv. Venil. Senon. n. 3 Hard. V. 488). Quare nemo, puto, in his Nicolaum nostrum arrogantiae praesumptionisve arguerit. Rerum investigatorem autem id ibi valde delectat, mirae illius arboris, quae tribus saeculis postea fere totum orbem christianum adimplevit, hoc modo quasi radices et prima germina prendidisse.

---

[1]) ep. 83 ad Lud., Car. Calv. (l. c. 924).

[2]) ep. 149 ad Loth. (l. c. 1149).

[3]) ex. gr. a. 855 Lotharius II Ludovicum II imperatorem, ut ejus intercessione Nicolaus Carolo et Ludovico pacem servandam inculcaret (Hincm. ann. 865 ed. Pertz I. 467 sq.), a. 866 eppi syn. Suess. de Britonibus ad obedientiam Caroli redigendis (Hard. V. 628), et itd. Helletrudis vidua Berengarii de cogendo ad restitutionem Lothario (Nic. ep. 112 M. 1115) ipsum Nicolaum adierunt, similiter paullo post in simili causa Carlomannus filius Caroli Calvi Hadrianum II. (cf. Hard. V. 720).

Appendix I.

Quibus juris ecclesiastici fontibus Nicolaus usus sit.

Primum quidem collectio Dionysii exigui, sicut universim pro sollemni „codice canonum“ habebatur, [1]) etiam Nicolao in consueto usu erat. Pluries ejusdem decreta addito numero locove profert, qui plane cum forma ejus a Justellio („bibliotheca jur. can. vet.“ I p. 101—249) edita conveniunt. Ita in ep. 4 l. c. 775 „Leonis I decretalium cap. 33“ (cf. Justelli l. c. I, 233), et Gelasii decretal. cap. 3“ (cf. Just. l. c. 240 — **Ps. Isid. eadem „cap. 4“ habet** ed. Migne t. CXXX col. 940), in ep. 66 ad Rod. Bit. n. 6 l. c. 885 „Leonis vigesimam quintam decretalium regulam“ (cf. Just. l. c. 230 — **Ps. Isid. l. c. 892 alium ordinem exhibet**), in ep. 75 ad eppos Galliae l. c. 902 „capitulum quintum decretalium Leonis“ citat (cf. Iust. l. c. 223). — Deinde et ipsa verba, quae forte ab eo adducuntur, collectionis illius formam satis denotant, quum imprimis a textu Pseudo-Isidoriano discrepant. Ejusmodi conferantur citationes ep. 35 ad eppos syn. Sylvan. l. c. 828 (Innoc. I, c. 46 sec. Just. l. c. 206 c. 46 — Ps. Isid. l. c. 713), ep. 73 ad Car. Calv. l. c. 894 et ep. 75 l. c. 904 (Idem c. 10 sec. Just. l. c. 197 — Ps. Isid. l. c. 699 c. 3), ep. 82 ad Arduic. Besont. c. 5 l. c. 920 (Idem c. 3 sec. Just. l. c. 194 — Ps. Isid. l. c. 695), ep. 86 ad Mich. imp. l. c. 949 (Idem c. 45 sec. Just. l. c. 206 — Ps. Isid. l. c. 713). [2])

---

[1]) Nic. in ep. 75 l. c. 901 cf. Spittler „Gesch. des kan. Rechtes“ §. 40, Philipps K.-R. IV. S. 40, 44, 45.

[2]) Huc sane etiam id referendum, quod Nicolaus pro norma obedientiae ecclesiasticae in ep. 32 ad Hincm. Rhem. (l. c. 822) solum decreta „Siricii, Innocentii, Zosimi, Coelestini (et reliq. usque ad Greg. I)“ nominatim appellat. (Sim. Leo IV ep. ad eppos Britann. n. 6 Hard. V. 3).

Ex aliis ejusmodi collectionibus „concordiam canonum 50 titulis contextam“ sibi probe notam esse memorat (ep. 99 ad Phot. l. c. 1051), quae sane Johannis Antiocheni putanda (ed. Justelli l. c. I 499—602). — Num praeterea collectio Isidoriana et antiqua Romana primum a Quesnello edita [1]) ipsi cognitae aut usitatae fuerint, dubium relinquendum est. Nam etsi ex utraque canones et decreta laudavit, sunt tamen loci parum insignientes quique etiam ex archivo aliove archetypo sumpti esse possunt. Ejusmodi sunt loci ex ep. Leonis ad Flavianum (in ep. 35 l. c. 828, ep. 98 l. c. 1020 et ep. 104 l. c. 1068), ejd. ad Mauros (in ep. 107 l. c. 1101), syn. Tolet. I, c. 16 (in decret. l. c. 1133), Gelasii ad eppos Dardan. (in ep. 74 l. c. 898), ejd. commonitor. ad Faust. (in ep. 86 l. c. 934), ejd. de scriptis canonic. (in ep. 75 l. c. 903).

Multa deinde commemorat, quae in nulla notarum collectionum reperiuntur. Ita appellat Bonifacii I ep. ad eppos Thessal. (in ep. 75 l. c. 906, in ep. 86 l. c. 949 et in ep. 152 l. c. 1157 — cf. Coustant. „Epist. Rom. Pontificum“ I, 1037), ejusdem ep. ad Rufum etc. (in ep. 75 l. c. 907 et in ep. 86 l. c. 954 — cf. Coust. l. c. 1043 et 1042), Felicis III epist. synod. (in ep. 46 ad Mich. imp. l. c. 857 — cf. Hard. l. c. II, 855), ejusdem ep. ad Zenonem et ad Cyrill. abbat. Acim. (in ep. 98 l. c. 1020), Hormisdae indiculum (in ep. 86 l. c. 942), ejusdem epist. ad eppos Galliae (in ep. 104 l. c. 1073). Quae quidem ex ipsis fontibus praeprimis ex archivo Romanae ecclesiae illum hausisse verisimillimum est. Nam haud dubie ea omnia revera genuina sunt, nec tamen tunc temporis jam uspiam publici juris facta. Archivum illud autem idem certe saepius pro fonte suo laudat [2]) nec non episcopos ad similes ecclesiarum suarum fodinas delegat. [3])

---

[1]) In Opp. Leon. I ed. Ballerini Append. tom. III p. 13 ss. cf. Prolegg. l. c. CXXII et CXCVI.

[2]) ex. gr. in ep. 25 l. c. 806, ep. 89 l. c. 964, ep. 91 l. c. 970.

[3]) ep. 65 ad Rodulph. Bituric. l. c. 882.

In his denique quaedam habet, quorum fontes spurii. Ejusmodi adducit s. Clementis epist. I ad s. Jacobum (in ep. 147 ad eppos in regno Loth. l. c. 1141), Marcellini synodum Sinuessanam (in ep. 86 ad Mich. imp. l. c. 940), s. Sylvestri acta et constituta (in ep. 25 l. c. 807, ep. 86 l. c. 938 et 940, ep. 152 l. c. 1157), denique processum Sixti III (in ep. 86 l. c. 938 et 940).[1] Ubi statim quaestio datur, num etiam Pseudo-Isidoriana collectio illi usitata fuerit.

Loci ipsi, quos modo dixi, spurii hanc collectionem quidem parum denotant. Sola enim s. Clementis epistola ibi invenitur (cf. Ps. Isid. l. c. 22); sed ipsam saeculo IV confictam, itaque Nicolai tempore jam omnino quasi publici juris factam esse constat.[2] Marcellini synodus Sinuessana autem sicut gesta Sixti III, etsi non minus falsa et supposititia,[3] apud Pseudo-Isidorum non reperiuntur. Idem dicendum de actis et constitutis Silvestri, quae et ipsa inter fictitia ponenda.[4] Nam si Nicolaus in ep. 25 l. c. 807 pro forma

---

[1]) Plura hic consulto praetermitto, quae leviter aut summatim spectanti aliquatenus concurrere videantur. Siquidem pro Victoris exemplo a Nicolao laudato (in ep. 98 l. c. 1033) indubie Eusebii H. E. V, 24, pro Julii I epistola ad Orientales (in ep. 73 l. c. 894 et ep. 86 l. c. 955) autem praeter Theodoreti H. E. II, 4 ipsum authenticum (quod etiamtunc sane aderat, nunc quidem deperiit cf. Coustant. l. c. I, 408 ss.) fons reputandus est; Alexandri I autoritas vere Ps.-Isidoriana autem, quae in ep. ad Theutgaudum sub nomine Nicolai I ab Honthemio edita profertur, prorsus nihil est, quippe tota haec epistola erronee Nicolao nostro adscripta (cf. supra p. 18 not. 1).

[2]) cf. Coustant. l. c. Append. 1 ss.

[3]) De illa quidem praeter Nat. Alex. H. E. Saec. III diss. 20 praeprimis cf. Coustant. l. c. App. col. 27 ss.; de his autem Coustant. l. c. 111 ss. Ipsa sicut acta Silvestri ab eodem falsario exarata esse, idque fortasse tempore Symmachi Papae factum, qui in simili causa contra impetum Theoderici vindicandus erat, idem autor autumat (l. c. praef. LXXXVI, App. 27 et 115). Certe jam in codice Colbertino 784 Longobardicis litteris scripto Nicolaique aevo vetustiore exhibentur (l. c. praef. LXXX), et Nicolaus ipse pro actis Sixti III quidem aperte archivum Rom. eccliae appellat addens: „sicut apud nos scriptum habetur."

[4]) cf. Coustant. l. c. App. 37 ss. et not. prior.

judicii episcopi exemplum illius Pontificis adducit, solummodo verba praedecessoris sui Leonis IV reddit (ed. Migne l. c. CXV, 667). Quae autem ex ejusdem decreto synodali affert (in ep. 86 l. c. 938 et 940), ad litteram constituti ejus (c. 20 et c. 3) exscripsit (cf. Coustant. l. c. App. 52 et 47, Hard. I. 293 et 291), quum Ps.-Isidorus in excerptis suis (l. c. 609 ss.) eadem aut omnino praetermittat aut certe minus consone habeat.[1]) Denique si in ep. 152 l. c. 1157 „Silvestri tempore de jejunio sabbati satis ait esse disputatum et discussum," ejusmodi actiones plenae nunc quidem ignotae, sed tales obtinuisse, indicio est syn. Eliberit. c. 26 instituens: „errorem placuit corrigi, ut omni sabbati die superpositiones celebremus." (Hard. I, 253 cf. Hefele Konzgesch. I. 138). — Quare, ut supra dictum, ipsa spuria monumenta a Nicolao expresse memorata pro collectione Pseudo-Isidoriana nihil faciunt.

Ad eandem hanc collectionem deinde illa „tot et tanta decretalia statuta," quae Nicolaus pro causis episcoporum ad S. A. deferendis appellat,[2]) spectare dicuntur.[3]) Cui sententiae haud parum suffragari videtur, quod episcopi Galliae

---

[1]) Videlicet c. 20 apud Ps. Isid. non datur, c. 3 autem itidem ex integro constituto illo sumptum esse, jam initium prodit: „Silv. fecit gradus in gremio syn. etc." Constitutum c. 3 enim idem habet: „postea autem fecit gradus in gremio synodi," excerptum Ps. Isid. autem: „in qua syn. . . constitum est." — Ceterum acta Silvestri et Constantini omnino ipso Ps. Isidoro antiquiora, inter doctos omnes probe convenit.

[2]) Nicol. sermo l. c. 892 „Etsi Roth. nullatenus appellasset, illi (sc. eppi) tamen contra tot et tanta decretalia se efferre statuta et eppum inconsulte deponere non debuerunt . . . quia sacra statuta et veneranda decreta epporum causas utpote majora negotia nostrae diffiniendas censurae mandarunt." „Quanquam quidam vestrum scripserint, in ep. 75 ad eppos Galliae idem argumentum prosequitur, haud illa decretalia prisocrum Pontificum in toto codicis canonum corpore contineri descripta, quum ipsi ubi suae intentioni haec suffragari conspiciunt, illis indifferenter utantur, et solum nunc ad imminutionem potestatis S. A. et ad suorum augmentum privilegiorum minus accepta esse perhibeant."

[3]) Tale quid certe fere omnes viri docti asserunt cf. Nat. Alex. H. E. Saec. III. diss. 20 n. 13, Coustant. l. c. praef. CXXVIII, Spittler Gesch. d. kan. R. S. 266 ff., Gieseler K.-G. 3. Aufl. II, 1 S. 156.

contra ejusmodi delationem ita remonstrasse narrantur, ut „illa decretalia priscorum Pontificum in toto codicis canonum corpore contineri descripta" negarent (l. c. 901). Sed nihilo secius re strictius cognita ibi quoque non possumus non adversari. Nam tantum patet, Nicolaum nominatim in tota illa controversia ne verbum quidem ex permultis illis Pseudo-Isidorianis autoritatibus produxisse. Siquidem, ut rem ad liquidum ponam, haec solummodo ibi veterum decreta canonesve sibi adhibet: Leonis ep. ad Flavian., Innoc. ad Alex. Ant., ejd. ad Macedones, Greg. ad Theoctistam Patriciam, syn. Sard. c. 4 et 8 (in ep. 35 l. c. 828 ss.), — jam restituto autem Rothadio: syn. Chalc. c. 9, Julii ep. ad Orientales, Innoc. ad Victric. (in ep. 73 l. c. 893 ss.), Leonis ad Anastas. Thessalonic., ejd. ad eppos Camp., syn. Sardic. ad Jul., Gelasii de scriptis canonicis, ejd. ad eppos Dard., Innoc. ad Victric., ejd. ad Alex. Ant., syn. Nic. de privilegiis ecclesiis servandis, Bonif. ad eppos Thessaliae (in ep. 75 l. c. 900 ss.). Quae sicut eum probe adducere poterant, ut de „tot et tantis decretalibus statutis" sibi suffragantibus loqueretur, ita minime nos ad Ps. Isidori fontes cogunt, quum sincere et fideliter omnia codice Dionysiano exhibeantur. Quare a Nicolao quidem episcopis Galliae nulla ansa data, ut „priscorum Pontificum decretalia" (nam iis Ps. Isidoriana notari pro certissimo est) expresse rejicere necesse habuerint. Qui quum id nihilo secius fecerint, sane alia causa ponenda. Puto igitur, ejusmodi decretalia utpote aperta et indubia argumenta iis frequenter a Rothadio ejusque amicis opposita esse, eosque illa „tot et tanta decretalia statuta," quae Nicolaus summatim commemoraverat, fortasse ad eadem spectare sumpsisse. Unde ipsa similiter summatim recusare in replicatione sua ad hunc data facile pro opportuno judicarint. [1]) Hic autem tale principium,

---

[1]) Sane multum dolendum, quod litterae ipsae, quibus episcopi ita mussitabant, deperierunt. Nam ibi fortasse pateret, quatenus et a quibus „priscorum Pontificum decreta" ipsis opposita. Ceterum Nicolaus scripta, quae in ea causa emiserit, pluries recenset (ep. 47 l. c. 860, ep. 73 l. c. 893 ss., cf. ep. 60 l. c. 871). Unde videmus, ex iis vix solam epistolam ad Hincmarum per socium Bosonis comitis transmissam nobis temporum

non obligare A. S. decretalia nisi in codice canonum Dionysiano continerentur, nullatenus recipere, sed quippe ineptum et ab ipsis episcopis usu confutatum non potuit non rejicere (cf. cet. diss. prior. „de Nic. leglat. eccl.“ App. I.). Nihil ergo ex hoc loco pro Ps. Isidoriana collectione sequitur. Immo exinde fortasse ipsum contrarium evinci potest, hanc videlicet ibi minime adhibitam esse.

Nam Nicolaus in ep. 75 cit. rationes suas plenius exhibet, decretalia, quibus fulcitur, adducit. In quibus ne verbum quidem de Ps. Isidorianis, solummodo longae consequentiae ex concilio Chalcedonensi et Sardicensi, ex decretalibus Leonis I et Innocentii I, ex verbis s. Pauli 1. Tim. 3, 2. Quid, num tantum pro probanda causa sua laborasset, argumenta per artificiosas ambages recollegisset, si ipsi tot tamque aperti loci affatim adfuissent, quales de ea re a Ps. Isidoro allati? [1]) Denique idem ibi se non vetusta decretalia et exempla simpliciter sequi, sed novum quid etsi secundum antiquos canones [2]) statuere diserte pronuntiat, quum ratiocinationem suam ita concludat: [3]) „unde tam episcoporum quam metropolitanorum negotiorum exitus nobis reservari merito volumus et jure decrevimus. Totius enim ecclesiae Deo auctore generaliter sollicitudinem gerimus et omnium utique, qui ecclesiam faciunt, cura constringimur, atque omnium, quorum nos maxima cura exspectat, nostrum praecipue debent promereri judicium (cf. Innoc. ad

---

injuria detractam esse, in qua autem, causa modo incepta, Ps. Isidorianum profecto nihil praesumendum.

[1]) cf. Ps. Euarist. ep. 2 l. c. 85, Ps. Sixt. I ep. 2 l. c. 104, Ps. Eleuth. l. c. 120, Ps. Victor ep. 1 l. c. 123, Ps. Zephyr. ep. 1 l. c. 125, Ps. Sixt. II ep. 1 l. c. 184, Ps. Marcellus ep. 1 l. c. 219, Ps. Melchiades l. c. 238, Ps. Jul. ep. 1 ad orientales l. c. 620, ep. 2 ad orientales l. c. 630, Aegyptiorum ep. ad Felic. II l. c. 639 et 641, Felic. rescript. ad eosd. l. c. 647 etc.

[2]) Ipse veteres canones solummodo, quatenus de causis majoribus praecipientes, sibi suffragari appellat: „quia sacra statuta et veneranda decreta epporum causas utpote majora negotia nostrae diffiniendas censurae mandarunt“ (serm. Nic. l. c. 892).

[3]) in ep. cit. 75 l. c. 904.

Alex. Ant.)." Quare ex his jam fere constare videtur, illum Ps.-Isidorianae collectioni nullam autoritatem tribuisse. Sed idem etiam aliunde satis apparet.

Nicolaus enim non solum, ut vidimus, inter innumeras autoritates suas nullam mere Ps. Isidorianam posuit, sed etiam quos allegavit locos a Ps. Isidoro depravatos aut falsis autoribus adscriptos semper ex genuinis fontibus sumpsit, genuinis nominibus adscripsit. Ita Julii epistolam ad orientales bis adduxit; [1]) verum minime ibi formam aut argumenta Pseudo-Isidoriana, etsi pro causa illa superadmodum utilia, [2]) sed genuinam epistolam a Theodoreto H. E. II. 4 satis denotatam nunc autem deperditam [3]) profecto ex archivo Romano praebet. Similiter locum illum de apostolorum itemque episcoporum inter se distinctione recte Leoni, [4]) non cum Ps. Isidoro Anacleto aut Melchiadi aut Julio aut Vigilio adscribit. [5]) Eodem modo de relatione causarum majorum ad Sedem Apostolicam non Ps. Sixtum aut Ps. Julium [6]) aliosve, qui Ps. Isidoro abunde praesto sunt, fictitios autores sed recte Leonem appellat (in ep. 75 l. c. 903). Quum autem pluries duodenarium numerum judicum episcoporum pro necessario extollat et inde vel constitutionem novae provinciae ecclesiasticae impugnet, [7]) tamen minime Ps.-Isidorianos

---

[1]) in ep. 73 ad Car. Calv. l. c. 894 de Rothadii, et in ep. 86 ad Mich. imp. l. c. 955 de Ignatii examine Romae renovando.

[2]) cf. ex. gr. Ps. Jul. l. c. 620: „ipsi primae sedis ecclesiae convocandarum generalium synodorum jura et judicia episcoporum singulari privilegio evangelicis atque apostolicis atque canonicis concessa sunt institutis ... Porro dudum a ss. apostolis etc. fuit decretum, non oportere praeter sententiam Romani Pontificis concilia celebrari nec episcopum damnari etc."

[3]) cf. Coustant. „Ep. R. P." I, 408 n. 3.

[4]) in ep. 68 ad Adv. Met. (l. c. 888), in ep. 75 (l. c. 900) — cf. Leo ep. 88 ad Anast. Thessal.

[5]) cf. ed. cit. Migne col. 78, 238, 622, 627, 1078.

[6]) cf. Ps. Isid. l. c. 186, 634.

[7]) ep. 25 ad Salom. reg. (l. c. 807), ep. 91 ad Festinian. Dolens. (l. c. 970) „vos, qui tantum septem eppos habetis, quae causa ecclesiasticae traditionis vos sinat habere metropolim, ignoremus, praecipue quum eppus non a VII sed a XII audiri praecipiatur."

autores [1]) sibi evocat sed secundum Leonis IV exemplum tantummodo acta Silvestri. [2]) — Alios ejusmodi locos indicasse sufficiat. Siquidem Nicolaus in ep. 35 l. c. 831, ep. 68 l. c. 889, ep. 75 l. c. 904 Innocentium vocat, Ps. Isidorus Damasum (ep. 5 l. c. 675), Aegyptios (ep. ad Felic. II l. c. 643), Marcellum (l. c. 219), — in ep. 73 l. c. 894 Zosimum, Ps. Isid. Damasum (ep. 5 l. c. 675), — in ep. 73 l. c. 895 et ep. 104 l. c. 1073 Bonifacium, Ps. Isid. Julium (ep. 2 l. c. 626 et 627), — in resp. ad consulta Bulg. n. 55 l. c. 1001 Coelestinum, Ps. Isid. Fabianum (ep. 2 l. c. 155), — in ep. 98 l. c. 1037 Gregorium, Ps. Isid. Euaristum (ep. 2 l. c. 86).

Praeterea plures causas idem longe aliter quam Ps. Isidorus diffiniisse invenitur. Ita chorepiscopis characterem episcopalem addixit, [3]) hic denegavit. [4]) Deinde hymnum „gloria in excelsis Deo" ipse a presbyteris solum in festo Paschatis dicendum voluit, [5]) hic in nocte nativitatis Domini; [6]) non minus de ritu

---

[1]) Ps. Anaclet. ep. 1 ed. M. l. c. 67, Ps. Zephyrin. ep. 1 l. c. 126. Praeprimis in illa causa Ps. Pelagius II Nicolao multum profuisset scribens (ep. 1 l. c. 1093): „scitote, certam provinciam esse, quae habet X vel XI civitates et unum regem et totidem minores potestates sub se, et unum episcopum aliosque suffragatores X vel XI eppos judices, ad quorum judicium omnes causae epporum etc. referantur."

[2]) ep. 25 l. c. 807; praeterea syn. I Carth. a. 348 c. 11 et II Carth. a. 390 c. 10 (Hard. I. 687 et 953) eundem numerum judicum praescripserunt.

[3]) ep. 66 ad Rodulph. Bituric. l. c. 884 „ad formam LXX chorepiscopi facti sunt (sec. syn. Neocaes. c. 13), quos quis dubitet epporum habuisse officium?"

[4]) Praeprimis Ps. Damas. ep. 5 (l. c. 669): „Quod choreppi idem sint, qui et presbyteri, sufficienter invenitur, qui ad formam et exemplum LXX inveniuntur prius instituti ... Quidquid ergo inter eppos aut de rebus ad eos solummodo pertinentibus egerint, necesse est, ut irritum fiat, quia quod non habent dare nequaquam possunt." cf. Ps. Leo ep. 66 l. c. 880 ss., Ps. Joh. l. c. 1081, Ps. Anacl. ep. 2 et 3 l. c. 72 et 76.

[5]) ep. 61 respons. ad legat. Salom. n. 9 l. c. 875.

[6]) cf. Ps. Telesphor. l. c. 105.

nuptiarum ineundarum [1]) sicut de forma judicii ecclesiastici alter ab altero discrepat.

Quae omnia si diligenter consideraverimus, vix dubitare poterimus, quin Nicolaus collectionem Pseudo-Isidorianam nullatenus pro autoritate posuerit adhibueritve, immo ne noverit quidem. Ex altera autem parte id simul constat, eum principium illud de universali obligatione cujusvis decreti Pontificii strictissime tenuisse, eoque sensu, quidquid ex ejusmodi constitutionibus antiquitus traditum invenit, pro omni forma juris ecclesiastici imprimis quoque pro describendo et amplificando Primatu Romano convertisse. Ita ex. gr. decretale illud Gelasii de non dedicandis absque licentia S. A. novis basilicis, quod pro episcopis suffraganis Pontificis Romani emissum, [2]) ad universalem ecclesiam transferre intendit. [3]) Num praeterea coronatio ipsius sicut honores visitanti ei ab imperatore impensi [4]) cum sententiis similibus donationis Constantini [5]) cohaereant, mihi quidem vix dubitandum videtur. — Ubi statim alia res cuique hujus materiae gnaro occurret, videlicet Nicolaum in

---

[1]) de hoc quidem Nicolaus in ep. 157 (commonit. legat. in causa Theutb.) l. c. 1179 et resp. ad consult. Bulg. c. 3 (l. c. 980) — cf. Ps. Euar. ep. 1 l. c. 81.

[2]) in ep. ad eppos Lucan., Brut. et Sic. (in cod. Dionys. „Decret. Gelas.“ c. 4 et 25 ed. Justelli l. c. 240 et 244).

[3]) in ep. 82 ad Arduic. Vesont. c. 5 (l. c. 920), frgm. ep. 135 ad electum et cler. Nonens. (l. c. 1130).

[4]) Anast. „Vitae Pontif.“ CVII n. 579 „coronatur denique,“ id quod primum ejusmodi exemplum. l. c. n. 580 „excellentissimus Augustus quum vidisset eum (Nicolaum), obvius in adventum ejus occurrit, frenumque Caesar equi Pontificis suis manibus apprehendens, pedestri modo quantum sagittae jactus extenditur traxit.“

[5]) cf. Edictum D. Constantini imperatoris (a Ps. Isidoro etsi ipso vetustius exhibitum l. c. 250): „decrevimus itaque et hoc, ut idem venerabilis pater Sylvester vel omnes ejus successores pontifices diadema, videlicet coronam, quam ex capite nostro illi concessimus, uti debeant et eorum capite ad laudem Dei pro honore b. Petri gestare .... et tenentes frenum equi illius pro reverentia b. Petri stratoris officium illi exhibuimus.“

pluribus juris partibus idem prorsus ac Pseudo-Isidorum instituisse, etsi ab hoc quidem nihil omnino mutuatus esse praedicandus. Ejus generis inter alia sunt constituta de causis episcoporum a S. A. definiendis, de convocatione synodorum earumque sicut librorum suspectorum approbatione per eandem perficienda, de numero XII judicantium episcoporum et plura alia de forma judicii prolata. Tali modo in Nicolao quasi exemplum ad vivum expressum videmus, quomodo illo tempore ratio legislationis ecclesiasticae etsi a Ps. Isidoro prorsus sejuncta tamen eandem, quam hic, viam persecuta sit.